



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Quod uita non emendatur, non semper doctrinae adscribendum sed uitij
audientium

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

DA. Hoc uero non doctrinae adscribi debet, sed his qui doctrinae parum obsequuntur. Doctrina (ut tu quoque concedis) sana est, nec quidquam in illa desideratur: quid ergo est quod catabaptistae docendo diuersum aliud agant, quam ut ostendant pertinaciam suam, & philautiam quandam, qua fit, ut nihil eis placeat, quam quod ipsi faciunt. Hoc ut sine affectibus non fit, ita sine morbo esse non potest. SIMON.

Nec tamen credis quam sint deuoti Deo, quam seueri & graues, quam ardeant in Deum. IOIA.

DA. Hanc eorum deuotionem sine uitio esse non crediderim, nam ecclesias simul separant, dum nihil est necesse. Negare enim non potes, a nobis quoque et deum summa cum fide doceri: & scelera summa cum libertate ac seueritate reprehendi. Quid ergo illi faciunt quod nos non idem faciamus, praeterquam quod se ab alijs separant & pertinaces sunt? An non & Satan se in angelum lucis transformare nouit? Quid ergo mirandum si & impostores, pastores se esse simularent? Qui piscari uolunt, non nudum, sed esca piscibus grata obductum hamum obijciunt. Recte Cato olim dixit, Fistula dulce canit, uolucres dum decipit auceps. Neque est tam stultus, ut rete ante oculos auium exponat. An non & Papa tot iam annis nos hypocrisi sua tam speciosa, & diuino quodam furo seduxit? Sed exciderunt nobis haec, qui nos ipsos tam facile nouis istis

*4 p[er]t[in]e[n]t in d[omi]n[um]
sed d[omi]n[us] in d[omi]n[is]
aff[er]unt d[omi]n[um]
sed q[ui]s q[ui]s d[omi]n[us]
in p[ar]te ob[er]at*

2. Cor. II.

Proverb. a

*Cato l[ib]er
7 m[en]te lega*